

et contemneretur a populo, tamen rursus revertebatur
35 ad eos et amore eorum constrictus sectabatur eos etiam
aversos a se. Et hoc est quod ipse Dominus in Evangeliiis
indicat, cum dicit : « Hierusalem, Hierusalem, quae occi-
dis prophetas et lapidas missos ad te ! Quotiens volui con-
gregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub
40 alis suis et noluisti. » Sed et Paulus dicit ad Corinthios
scribens : « Quod Deus erat in Christo mundum reconci-
lians sibi, non reputans eis delicta ipsorum, et posuit in
nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legationem
fungimur, sicut Deo deprecante pro nobis. Rogamus pro
45 Christo, reconciliamini Deo. » Haec etiam ad nos dici pute-
mus. Non solum enim infidelitas sed vitae contaminatio
execrabiles istas inimicitias facit inter Deum et hominem.
Sic enim et Apostolus dicit quia : « Sapientia carnis ini-
mica est Deo. » Age ergo nunc destruamus hunc inimici-
50 tiarum parietem et viam nobis reconciliationis faciamus
ad Deum, ut iterum efficiamur et amabiles et concupis-
cibiles. Scio quia miraris valde Hermionis pulcritudinem
et decoris eius nihil inveniri posse in terris simile iudi-
cas. Sed si velis, ô amice, multo tu ea formosior et multo
55 pulcrior fieres quantum potest esse aurum luto pulcrius.
Si enim in illam corporis speciem tam multi mirantur
et accenduntur pro ea, quantum putas esse in anima
decoris, si ad omnem naturae suae fuerit exulta pul-
critudinem, quam amabilis omnibus et quam mirabilis
60 erit. Etenim corporei decoris substantia non in alio